

**QVARTA DIES MAII.
DE S. FLORIANO PRINCIPE OFFICII, ET
SOCIIS MARTYRIBVS LAVREACI, IN
NORICO RIPENSI, SIVE SVPERIORE
AVSTRIA.
ALIA ACTA**

Ex MS. Carthusiæ Gamnicensis.

[1] Florianus, genere a Teutonicus, Imperialis militiæ per Orientalem Bavariam Princeps fuit. Invenitur enim in Chronica, quod cum totus mundus Romanis esset subjectus, [S. Florianus Princeps militiæ in Ripensi Norico] habebant in qualibet regione militiam, suo obsequio pro annuo stipendio deputatam; ut si quando regio vel provincia aliqua Romanæ potentiæ rebellare præsumeret, militia regionum variarum, repugnantium audaciam continuo refrænaret. Unde cum Orientalis Bavaria (quæ olim Ripensis nova, nunc autem Austria nuncupatur, cujus termini ab Æno fluvio usque ad confinia Pannoniæ protenduntur) Romano subjecta esset Imperio; quemadmodum per Præsides, qui ad civitatem Laureacensem ab eisdem mittebantur, patenter ostenditur; habebant in eadem provincia militiam copiosam. Et quia S. Florianus dignitate rerum & familia ceteris præpollebat, Principatum ejusdem militiæ meruit adipisci. Fuit enim residens in castro, quod tunc Cecia, nunc vero Zeizelmaur appellatur: quod cum omnibus suis attinentiis ordinatione divina cessit Ecclesiae in possessionem; ut sicut Reliquiarum suarum ornaretur thesauro; sic etiam suorum prædiorum habitudine ditaretur: & quo vivens in persona propria usus fuerat, eodem etiam mortuus per suos famulos frueretur.

[2] In illis temporibus gentilis feritas duos apros emisit sævissimos, Diocletianum scilicet & Maximianum, qui dentibus nefariis vineam Domini exterminio devastarent. [in persecutione Diocletiani,] Nam cum cederet eisdem cura monarchiæ gubernanda; mox Imperialibus fascibus intumentes, ardenter desiderabant illud genus electum de medio tollere, quod inclyta mater Ecclesia celesti Sponso juncta progenuerat. Qua propter gentes fremunt & populi meditantur inania, Regesque in unum conveniunt contra Christum. [sub Præsidente Aquilino] Tunc Imperatores miserunt edictum in universis provinciis ac regnis, ut quicumque Christo divinitatem ascriberet, mortis dispendium sub diversis suppliciis pateretur. Hujus itaque mandati executor erat vir effraenis, sæva bestia, humani sanguinis cupidus, nomine Aquilinus, qui cum fines Noricorum Præsidis functus Officio subintraret, scrutari ubique cœpit habitacula fidelium, tamquam leo rugiens, quærens quem devoret. Ingrediens tandem plenus crudelitate nobile castrum Laureacense (quod divitiarum copia, armorum virtute, populi numerositate, murorum amplitudine, famæ celebritate, adeo ceteris præeminebat, ut vix Romanam arcem præferri sibi pateretur) cœpit persequi & alligare cunctos, qui se Christianos profitebantur. Comprehensa est igitur magna fidelium multitudo: [post captam magnam fidelium multitudinē] quibus ante Tribunal judicis constitutis, parati sunt pro fide Christi omnibus exigentibus reddere rationem; non eos metuentes, qui potestatem habent corruptibilis massam corporis dissolvendi, sed potius eum qui præter corpus etiam animam mittere valet in gehennam. Et quia nulla tormenti species eorum adamantina pectora potuit immutare, ideo subsannaverunt cassa molimina Præsidis, minas ipsius ac promissa levi vento simillima reputantes. Quapropter jubet quosdam occidi, quosdam retrudi in carcerem, quo ad usque excogitaret, quibus tormentorum studiis præsentis vitæ solatio privarentur, si jussis suis

obtemperare contemnerent. Divulgatur igitur rumor per universum regionis circuitum de Martyrum glorioso certamine.

[3] Interea Florianus, inclytus miles Christi, florens ut palma exaltata, [accensus desiderio martyrii,] & quasi cedrus in Libano germinans, terrenis rebus tenui radice inhæsit, paratus opportunitate nacta pretiosam margaritam caelestis Regni venditis omnibus comparare, & Christi vestigia nudus sequi. Tegebant enim vota Christianæ religionis ornamenta secularis militiae, juxta similitudinem grani sub palea latitantis. Qui cum apud urbem Ceciam honorabilis, ut dictum est, haberetur; audivit qualiter Aquilinus Præses ausu temerario Confessores Christiani nominis diris verberum cruciatibus extirparet: & condolens medullitus eorum innocentiae, desiderio mox accenditur passionis; ut sicut præiret dignitate transitoria, sic præcelleret sempiterna. Compassibilis enim caritas in corde suo id effecerat, ut potius vita præsentis vellet destitui, [assumptis secum XL militibus Christianis] quam diræ necis fidelium auditum lamentabilem tolerare. Talibus ergo desideriis succensus, socios suos reliquos fideliter adhortatur; ut ardor similis pectora eorum inflammaret: & valedicens suis pariterque manu mittens, iter cum quadraginta militibus festinus arripuit, terram propriam velut Abraham derelinquens. Appropians autem mœnibus Laureaci, qua Sancti torcular calcantes martyrii, vestes suas rubicundo sanguine consperserant; vidit nuntios præfati tyranni de longe adventare, paratos more vulpecularum vineam Domini morsibus nefariis demoliri. Quibus dum super pontem Anesi intrepidus occurisset, causam eorum velocis itineris sciscitatur. Cui vultu placido, utpote viro reverendo, protinus responderunt: [occurit lictoribus,] Numquid non nosti quod Romani Principes, missis decretis, universum mundum talibus astrinxerunt, ut ubique locorum majestas deorum, per quos Romana viget potentia & respublica

incrementum recipit, sacrificiis debeat honorari? Insuper comprehendi jubent quosdam vesanos, qui Christum ignominiose crucifixum colunt, & deos nostros invictissimos contemntes, eorum templa astruunt subvertenda: & nisi a sacrilega superstitione cessaverint, deosque nostros adoraverint, diversis suppliciis interibunt. Præses igitur direxit nos, ut hujus sectæ sacrilegos perscrutemur, & vinctos suis conspectibus præsentemus. Continuo Martyr intrepidus, [se Christianum profitetur:] quia cupiebat dissolvi & esse cum Christo; dixit legatis: Fratres & commilitiones, si quæritis servos Domini Jesu Christi, qui de cælis ad terram veniens morte sua mortis imperium superavit, humanumque genus tamquam fidus opilio Angelorum cœtui aggregavit; revertentes nuntiate Præsidi, quia ego Christianus sum, & hic præsto sum. Præterea sciat Præses, quod illi soli Deo milito, & omnia dura pati pro ejus amore desiderio.

[4] His auditis milites, qui missi fuerant, felle commoti, continuerunt aures suas, velut aspidis surdeae quæ obturat aures suas, ne possit audire vocem venefici incantantis sapienter. [oblatus Iudici,] Et comprehensum eum præsentaverunt præfato Iudici, dicentes: Quid aliud quærimus? Ecce Florianus Princeps Officii nostri, maligna suggestionem deceptus, fatetur se fore discipulum ejus, qui dicitur Christus. Mox Præses, velut sterilis ficulnea, quæ fructum non parit, sed terram inutiliter occupat, invidens etiam aliæ fertilitati, contra ipsum furore nimio inflammatur: [non movetur blanditiis aut minis,] condescendens tamen suæ nobilitati, blandis prius sermonibus ipsum aggreditur, si forte sic posset eum a proposito suo revocare. Eo vero in suo voto immutabiliter persistente, asperrimis minarum terroribus flectere satagit cor ipsius sacrificiis idolorum. Quibus etiam minarum terroribus frustra impensis præcepit Aquilinus, ut juxta præcepta Imperialia magnum Iovem velocius adoraret, alioquin velut rebellis Imperio gravius

puniretur. At ille, quia vivum & placens se Domino dederat holocaustum, Iovis simulacrum respuit, dicens ad Præsidem: Non ego colam saxa tua, deitatis honore vacua. Tum Præsides ira repletus, jubet ipsum invitum trahi ad sacrificium, si forte sic superari posset. Beatus autem Florianus elevatis oculis in cælum oravit, dicens: Domine Iesu Christe, [invocat coram omnibus Christum] spes & summa salus omnium te invocantium, in te speravi & te negare non possum: sed tibi milito, & laudis sacrificium offero. Protege me dextera tua, & ita mihi tolerandi virtutem. Suscipe me ad Sanctos Athletas tuos, qui ante me conversi, confessi sunt nomen tuum. Indue me, Domine, stola candida virtutis tuæ: confirma Spiritum sanctum tuum in me, & ne permittas me commutari a diabolo, quoniam consilium malignantium obsedit me, & tauri pingues dilacerare me cupiunt. Sed tu, pie Pastor, scutum tuæ protectionis accipe, & tu veni in adiutorium tironi tuo: quia tu es benedictus in secula seculorum. Amen.

[5] Mox fervida flamma succendit pectus Iudicis, plenum irarum fomite, [fustibus tunditur,] eo quod nullam præceptis suis videret reverentiam exhiberi. Jussit igitur ut latera ejus cum tergo fustium ictibus fortiter tunderentur. Cum autem diutius cæderetur, adeo vultum hilarem prætendebat, ac si refrigerio frueretur. Et volens exemplum suae constantiæ se fidelibus præstare, dixit ad Præsidem: Corporis mei potestatem habes; sed non animæ. Ideo noce quantum potes: quia nullo modo tuis præceptis acquiescam. Ut autem cognoscas quod tormenta tua non paveam, ignem vehementem accendi præcipias, & super eum in nomine Dei mei securus incedam. Tum Præsides, inter diros verberum cruciatus, eidem denuo persuadebat, ut diis offerret libamina, [paratus incedere per ignem.] dixitque ei: Floriane amicissime, annue præceptis meis, & immensis te muneribus honorabo. S. Florianus respondit: Jussioni tuæ

pareo quantum decet militem. Absit autem a me, ut dæmonibus sacrificem aut, eorum phantasmata adorem. Præterea verba tua, tamquam plena ludibrio, respuo: sed Christum verum Deum adoro, quem etiam colui cum adhuc humanam militiam exercebam.

[6] Post hæc jubet ipsum Tyrannus multo gravius fustigari, [adhuc gravius fustigatur,] ut lapis ille pretiosus magis politus, in structuram supernæ Jerusalem aptior fieret. Sed nec vinci poterat: quoniam interior homo tantæ contemplationis dulcedinem gustaverat, quod exterior plagas illatas minime sentiebat. Tunc sceleratissimus Aquilinus acrius furens, præcepit scapulas sancti viri ferreis uncis radicitus evelli. [ferreis uncis laceratur,] Ipse vero Deus eidem scapulis suis taliter obumbravit, ut omnia pœnarum genera pro nihilo duceret: imo pro Christi nomine mucrone fidei strenue dimicans, profanos tortores penitus confutaret.

[7] Videns autem Præses, quod eum superare non posset, exacuens linguam suam, ut gladium, infremuit & ait: Ecce magus iste nobis fortior existit, & nisi diræ mortis sententia prematur, studiis magicis omnem subvertet populum: & quod deterius est, superstitiosa Christianorum præsumptio adeo roborabitur, quod templa deorum nostrorum destruantur, & fiat novissimus error pejor priore: [accepta mortis sententia exultat:] magis ergo convenit unum hominem interimi, quam cunctum populum in errorem deduci. Continuo dedit in eum sententiam dicen; Suspendatur lapidea moles in collum ejus, & præcipitetur de ponte in flumen Anesi: ut sui sequaces hac pœna territi, a sua stultitia resipiscant. Sic saxeus Aquilinus, ob amorem saxeorum deorum, saxo punit Athletam Christi fortissimum, dum saxis offerre libamina respuit. Beatus igitur Florianus, data super se mortis sententia, gaudens & exultans ibat ad locum supplicii: quoniam ad vitam se credidit pervenire æternam. Cum

autem pontis medium, ubi præcipitari jussus fuerat, attigisset; [orat expansis manibus,] appenderunt collo ejus saxum gravissimum: ministri tamen nefandi sceleris, victi prece Martyris, orandi spatium concesserunt. Et stans contra partes Orientis, expansis ad Deum manibus offerebat in ara cordis mundarum precum holocaustomata: quia fervor divini amoris pectus ejus viva flamma jam accenderat. Dedit autem Dominus tantam virtutem precibus intra se fuis, quod sævi tortores manus sibi verebantur immittere. Et cum orandi spatium unius horæ fere jam complexisset, accurrens juvenis, maligno spiritu agitated, astantes redarguit, dicens: Quid hic tota die otio vacatis? Cur invicti Præsidis jussa negligitis: Num & vos sacrilego dogmate corrupti estis? Et irruens in eum furibundus, fortissimum Christi agonistam, in oratione stantem, & saxi molem collo gerentem, dejecit in fluvium. Confestim justo Dei judicio pœnam emeritam pro tanti ausu facinoris excepit: [præcipitatur de ponte in flumen.] oculi namque ejus crepuerunt, ut interior cordis cæcitas exteriore caligine manifesta fieret. Martyre vero ad ima cadente, suscepit unda stupefacta venerabile corpus cadentis; & in altum se erigens, [ministro præcipationis oculis privato.] in cacumine cujusdam lapidis collocavit. Sicque Dei providentia factum est, ut Martyri sancto passo pro petra Christo, per appensionem gravis petræ, daretur locus quietionis in eminenti petra. Moxque durities petrae Divino nutu in seipsam juxta longitudinem Martyris reflexa, locum sancto corpori quiescendi tribuit, quemadmodum in præsentiarum cernitur. Quo facto Christus, firmissima suorum custodia dilectorum, custodem sibi cælitus aquilam destinavit; ut per avem ratione carentem, irracionales actus vesani Præsidis confutaret. [Corpus ejus ab Aquila custoditur,] Quæ tamquam custos fidissima, non devorans, sed conservans corpus exanime; salutiferæ Crucis signum expansis alis super ipsum expressit: ut creaturam rationalem

detestaretur, quæ fidem Christi evacuare nitebatur, & Crucis mysterium abhorrebat.

[8] Tunc quædam religiosa vidua, nomine Valeria, omnium virtutum munere ditissima, [a Valeria vidua ad sepeliendum abducitur.] a S. Floriano per visum monita, sacratissimum corpus occulte sepeliendum rapuit. Et quia rabiem Gentilium formidabat, eo quod esset adhuc lucerna latens sub modio, circumvoluit reverendum corpus & thesaurum virgultis & frondibus, vehiculoque imponit, quasi hortum suum sepiis auxilio disponderet munire. Et quamvis illa stella clarissima, ramusculis abscondita, eclipsin corporis pateretur; miraculorum tamen radiis coruscabat. Nam cum fidelis illa matrona iter suum metu Gentilium celare contenderet; animalia, quæ sanctum corpus ducebant, [animalia lassantur,] siti ac æstu lassata, dum pervenissent fere ad locum, ubi Martyr se humanum monstraverat, adeo defecerunt, ut ultra progredi non valerent. Sed prudens femina, mittens manum suam ad fortia, opem divinæ misericordiæ suppliciter postulabat, dicens in hæc verba: Domine Jesu Christe, cujus munera præsto sunt omnibus, qui puro corde tua poscunt suffragia: adesto mihi famulæ tuæ, & fac me inceptum iter perficere. Mox Christi benignitas, quæ Sanctos suos mirificat, volens etiam venerandas Reliquias prædicti Martyris gloria decorare, jussit erumpere de terra fontem affluentissimum: qui manens aquis indeficientibus, memorabile factum usque hodie protestatur. [fons erumpit] Hoc autem ideo, ut per omnia elementa sanctitas gloriosi Martyris probaretur. Aqua enim, in altum se erigens, [quo refecta animalia, vires recuperant.] corpus sacrum reverenter in petræ cacumine posuit: petræ durities, ex ignis elemento proveniens, in seipsam reflexa, locum quiescendi tribuit: aër aquilam custodem dirigit: terra de abyssu fontem producit, ex quo fonte dum refecta fuissent sufficienter animalia, onus

pretiosum vehentia, incepti cursum itineris sine lassitudinis obstaculo peregerunt.

[9] Veniente autem memorata vidua ad locum sibi divinitus assignatum, [corpus sepelitur:] cum debita devotione tradidit ipsum ecclesiasticæ sepulturæ cum festinatione, propter imminentem amarissimæ persecutionis formidinem. Et ut ampliori reverentia corpus humatum veneraretur in terris, ostendit Dominus prope tumulum illius permulta miracula, quam celebris in aula cælestis patriæ haberetur. Quotquot enim ægrotantes illuc confluerunt, sanitatis beneficium acceperunt. Acta autem sunt hæc circa annum Domini trecentessimum, tempore Diocletiani & Maximiani Imperatorum.

[10] In quodam monasterio sibi dicato, dies natalis prædicti Martyris agebatur: ad quam solennitatem dum maxima multitudo hominum ex diversis regionibus confluisset, [Sanatur subito graviter læsus,] quidam etiam Miles devotionis causa, mortales habens inimicitias, adventat. Qui cum a suis hostibus in cæmeterio gravissimis fuisset vulneribus sauciatus; vi compulsus ad monasterium confugit, corruens ante altare semivivus. Ubi dum per modicum quievisset, cunctis admirantibus surrexit incolumis, omnibus vulneribus sanatis.

[11] Cum quidam cliens quamdam capellam, in honore prædicti Martyris consecratam, [incensor sacelli S. Floriani subito obit:] violento brachio spolii causa confregisset; & malo malum superaddens, post deprædationem incendio funditus devastasset; in obsequio Domini sui denuo se recepit. Cumque staret coram eo quasi securus, scyphum manu tenens, divino iudicio subito corruit, & spiritum exhalavit. Ipsa vero capella longo tempore sine reformationis beneficio existente, accidit ut quidam Abbas Ordinis Cisterciensis,

cujus monasterium eidem capellæ fuit contiguum, adeo gravem persecutionem a Fratribus pateretur, ut etiam Abbatiam dimittere cogereetur. [restaurator recipit Abbatis dignitatem,] Eodem tempore quidam monachus ejusdem Ordinis, qui S. Florianum specialiter diligebat, casu quodam superveniens, audivit de capellæ desolatione, & de Abbatis depositione. Et advocans eum, qui depositus fuerat, consilium sibi dedit, ut Deo & S. Floriano promitteret, quod capellam dirutam reformaret, & sine dubio gradum reciperet pristinae dignitatis. Qui dum votum hujusmodi emisisset, & etiam postmodum complevisset; ad pristinum honorem in brevi spatio meruit sublimari.

[12] Cum tres latrones quamdam capellam S. Floriani intenderent spoliare, nec ingressum possent habere per ostium; [Imago contra latronem se convertit.] unus eorum tecto confracto insiliit: & quaerens instrumentum, quo seram confringeret, ut reliquis sociis pararet introitum; ad quamcumque partem latro declinavit, illuc etiam imago prædicti Martyris se convertit. Quod dum latro consideraret & staret stupefactus, redarguitur a sociis foris stantibus, cur moram faceret in aperiendo: & narrans eis visionem, [Sacelli expilatoribus duobus extinctis,] jusserunt ut faciem imaginis, altaris mappa velaret, ne posset intueri quid faceret. Usus igitur eorum consilio, socios intromisit, qui asportaverunt inde quidquid volebant: & cum non longe ab ecclesia discessissent, unus eorum, qui faciem imaginis velare jusserat, in furiam conversus, miserabiliter expiravit. Alter vero in equo residens, in Danubium semetipsum præcipitavit, & sic vitam finivit. [tertius emendatur.] Tertius vero qui introrsus fuerat, videns ultionem divinam, compunctus corde ad Sacerdotem properat, & ei omnia quæ gesta sunt secundum ordinem confitetur.

[13] Quædam femina religiosa tanto tempore ægrotaverat, quod viribus corporis omnimode destituta, [Sanantur] usum etiam pedum habere non potuit. Cumque sic decumberet, vidit somnium, quasi multitudo languentium juxta fontem S. Floriani quiesceret, [sanctimonialis viribus corporis destituta,] & sanitatem cælitus expectaret. Ipsis vero moram ibidem aliquantulam facientibus, unus ægrotantium clamavit dicens: Curationis beneficium non accipimus, nisi prius veniat talis femina, nominatim expressa. Evigilans autem mulier Sacerdoti visionem recitat, & ut eam ad fontem duci faciat, Missamque pro ea de prædicto Martyre peragat, obnixius supplicat. Sacerdos igitur ejus petitioni satisfaciens, ipsam transduci, & ad fontem deponi jussit: ipse vero Missæ officium inchoavit. Mirabile dictu! Circa medium Missæ, mulier ad genua se erexit, & post pusillum ad venias se prostravit. Sicque factum est, ut que manibus portantium subnixa intraverat, completo officio, per merita prædicti Martyris, ad claustrum sine adjutorio remearet.

[14] Cum quidam operarius, ibidem ubi Sanctus sepultus est, de muro monasterii corruisset; [e lapsu passus rupturam in genitalibus,] & confractis genitalibus dolore vehementissimo gravatus, in monasterio resideret; aliis exeuntibus, ipse foras egredi non valebat. Quapropter ad altare in medio monasterii positum sese inclinavit: ubi dum per modicum tempus quievisset, surrexit sanus, nullum deinceps ex eadem ruptura gravamen persentiens.

[15] Hæc & alia beneficia quæ enumerare longum esset, Dominus per merita S. Floriani quotidie operatur. Igitur, beatissime Floriane, purpureæ flos innocentiae; ad vesperam vitæ mortalis, [Sanctus invocatur:] quæ lucessit Sanctis in requiem; ad finem cursus stadii præsentis, dum bravium accipitur Dei miserentis; nobis tarde currentibus,

**tua fide, spe & caritate, ut ad regnum perveniamus
supernum, succurre nunc & in æternum. Quod nobis
præstare dignetur Pater & Filius & Spiritus sanctus. Amen.**